

Letter 470: 3 April 1532, [Strasbourg], Capito to Johannes Schwebel

Printed in *Centuria*, pp. 159-60, no. 50.

Wolfgangus Capito Iohanni Schwebelio, domino et fratri suo colendo.

Gratiam et pacem. Interea quod alteras scripsi, extiterunt, qui Georgium hinc ab instituto remorari conati sunt, iterum nuncius tuus narrat plebem tabe interire, citra solatium ullius ministri verbi, multisque efflagitant, ut essemus authores ei, quod cum ipso simul abeat. Deinde in animo fuit mittere Michaellem Hilspachium, at vereor, ne tenuitate conditionis deterritus, apud nos potius haesurus sit, si ex Portzheim omnino fuerit abeundum. Propterea misimus hunc fratrem virum innocentem ac sedulum, qui pueris instituendis peridoneus erit, nam quod literis deest, sarciet diligentia: utrunque tibi commendo. Georgius te stulto verbulo offendit, quod ei velim, me petente ignoscas. Vale. Bucerus nondum venit Memmingam, ut acta sua tibi referat. Vale iterum. Tertio Aprilis 1532.